

Casus Moralis I

Proculus, qui Simpliciano quinque scellinos anglicos debebat, ab eo rogatus est ut quinque scellinos ex aere proprio adderet et schedulam Loteriae Nationalis nomine amborum emeret. Proculus externe annuit; sed schedulam Loteriae ea intentione emit ut si quid sortiretur, schedulam et praemium ut exclusive propria haberet, et quinque scellinos Simpliciano clam restitueret. Paucos post dies Simplicianus manifestavit Proculo intentionem emendi cum socio alteram schedulam Loteriae. Proculus fecte promisit se empturum schedulam nomine amborum, schedulam autem sibi soli emit. Casu Proculus duabus schedulis praemia tulit, quae et sibi servare voluit.

QUAERITUR:

Primo: Fuitne Proculus injustus erga Simplicianum, emens primam schedulam illa intentione et, in casu affirmativo, cur?

Secundo: Ad quid tenetur fecte consentiens in contractibus?

Tertio: Tenebaturne Proculus quidquam restituere, vel damna ulla reparare ante sententiam iudicis?

Quarto: Tenebaturne Proculus iudici interroganti veritatem manifestare, et sententiam sibi non faventem in conscientia observare?

AD PRIMUM:

Resp.: Inter dotes legitimi consensus in contractibus enumeratur: sinceritas: seu internus, non fictus, cum animo, scilicet, contrahendi obligationem et ideo cum animo sese obligandi ex iustitia commutativa. Consensus enim in contractu est causa, quae gignit obligationem in conscientia adimplendi promissum. Quod est de jure naturae. Nam, sine voluntate contrahendi, seu sese obligandi, contractus non adest nec adesse potest. Consensus enim est anima contractus. Contractus definitur: Plurium in idem placitum consensus, uno aut pluribus aliquam obligationem suscipientibus erga alium vel alios. Huic, qui fecte praestat suum consensum, seu qui externe tantum annuit, in aliquo contractu, ita ut apparere videatur, ut etiam externe annuat, decipit compartem et laedit jus strictum alterius. Compars enim habet jus strictum ne decipiatur, cum ipse interne consentiat. Proculus, qui externe tantum annuit, seu tantum externe manifestavit voluntatem emendi dimidiam partem primae schedulae, cum pecu-

nja Simpliciani, ut in primo contractu, et etiam in secundo contractu, nomine amborum, laesit jus strictum Simpliciani eum decipiendo, qui jus strictum—do ut facias—erga Proculum habebat ut dimidiam nempe partem primae et secundae schedulae in suo favore emeret. Quod revera Proculus in animo non habebat, et ideo iniustus Proculus fuit erga Simplicianum.

AD SECUNDUM:

Resp: Qui fecte contrahit, contractu revera non tenetur: et ratio patet—nullus effectus sine causa; si tamen contractui non stet, debet compartem reddere indemnem, quoniam damni causam efficacem posuit, ac proinde si aliter damnum reparare nequeat aut noluit, debet verum consensum ponere et contractui stare. Est doctrina certa omnium Theologorum. Diximus, debet compartem facere indemnem, quoniam vere damni causam efficacem posuit—aliis verbis, fecte consentiens habendus est uti iniustus damnificans, et ideo tenetur reparare omnia damna ea inde secuta, et praevisa saltem in confuso utpote fictus consensus fuerit causa damni efficax seu per se, formalis et vera. Ista obligatio reparandi damni non datur in poena deceptionis in foro interno ita ut si nulum damnum secutum fuerit, ad nihil teneretur; sed in quantum fecte consentiens generaliter damnificat compartem. Secus ratio restitutionis non habetur.

AD TERTIUM:

Resp: In casu uti enarrato, Proculus bis decepit Simplicianum, et supponimus, Proculum in duplici promissione facta emendi schedulam Loteriae nomine amborum, quamvis externe verba serio proferre visus sit, non modo simpliciter promisisse, sed, externe sese obligare animum manifestavisse, ex iustitiae commutativa. Secus, ea sola promissione gratuita, obligatio adimplendi promissum adesset tantum ex fidelitate, quae obligatio per se est sub levi; non enim apparet gravis turpitudine in mera infidelitate. Potest tamen per accidens obligatio gravis provenire ex eo, quod ea praetermissa adimplentione obventurum sit alteri nocumentum—sed obligatio gravis manet semper ex fidelitate tantum. Hisce positis, quoad primam et secundam deceptionem ex parte Proculi distinguendum est, nempe: aut voluntas Proculi erat non restituendi quinque scellinos Simpliciano si nihil sortiretur quod videtur adfuisse in prima promissione; dicitur in casu “*si quid sortiretur*” aut ipse paratus erat tum in prima tum in secunda

promissione restituendi pretium dimidiae schedulae Simpliciani in *omni eventu*, et hic animus Proculi adfuit ante sortitionem.

In prima hypothese Proculus, uti putamus, tenetur restituere dimidiam partem praemii ex sortitione obtenti. — Et ratio patet, ex eo quod in casu Simplicianus detinebat in simplici custodia apud Proculum dimidiam partem schedulae, quae Simpliciano erat—*et res fructificat domino*—Proculus, enim, aere alieno iniuste detento, nullum titulum ad praemium sibi procurare potuit ex pretio dimidiae partis schedulae Simpliciani. Unde Proculus in casu tenetur in conscientia, ante sententiam iudicis, praemium dividere cum Simpliciano.

In secunda hypothese, quod locum haberi poterat in secunda promissione, non censemus Proculum teneri ad aliud, nisi tantum ad restituendum valorem seu pretium dimidiae partis schedulae. Nam, in hac hypothese, Proculus sibi soli schedulam procuravit, aere proprio. Quando enim, aliquod contractum facimus censemur consentire nomine proprio nisi serio et efficaciter volumus exsequi mandatum acceptum. Talis voluntas deerat in Proculo, qui intendebat totam schedulam emere aere proprio, aliis verbis — *si vincam ea aere meo, pretium erit solutum, sed in omni eventu restituum pretium dimidiae schedulae Simpliciano, i. e. restituum quod suum est.*

Praeterea Proculus fictam promissionem semel tunc fecit et iterum quando promisit se empturum alteram schedulam nomine amborum. Tenetur ergo reparare damnum, *quod per se* secutum fuit ex ficto consensu: damnum revera non fuit plus quam pretium dimidiae schedulae.

Obicies: Qui fecte consentit tenetur quam citius praestare consensum.

Resp: Concedimus in parte: si et quoties damnum secutum non vult aut nequeat reparare. Secus, negamus.

Nec dicas, Proculum fecte consentientem, si nequeat reparare, teneri consensum praestare ut indemnem faciat Simplicianum. — Et ratio est, quia in casu, videndum est, uti videbimus, num amissio medietatis praemii, habenda sit uti damnum *causatum per se* ex ficto consensu, uti ex causa efficaci. — Quod non admittimus.

Et iterum obicies: Proculus privavit Simplicianum jure possibili ad praemium, quod jus pretio aestimabile est. Ergo.

Resp : Concedimus, sed pretium summum hujus juris possibilis est tantum pretium ipsius schedulae, quo nihil aliud emitur nisi illud jus.

Et iterum repones : Saltem Proculus privavit Simplicianum jure ludendi illa vice. Ergo.

Resp : Dicimus hanc privationem, vel negandam esse aut vix aestimandam quia generatim in potestate Simpliciani erat aliam emere schedulam Loteriae.

Et iterum obicies : Proculus fuit causa amissionis praemii, et ideo argues, Proculum teneri ex justitia commutativa restituere Simpliciano dimidiam partem praemii.

Resp : Concedimus quoties vero fictus consensus ex parte Proculi dici possit *causa efficiat* damni, seu aliis verbis, causa utpote ex sua natura capax sit producendi tale determinatum damnum. Quod dici nequit. Certè enim, ex mille schedulis, una tantum praemium aliquod affert; damnum illud non erat probabiliter secuturum. Causa *per se* dici nequit.

Et iterum repones : Sed causa, etsi per accidens, si posita fuerit a Proculo cum unica intentione nocendi Simpliciano seu privandi Simplicianum sortitione dimidiae partis praemii, *dici debet causa per se*. Ergo.

Resp : Hoc inter Theologos acriter disputatur, nempe, utrum causa per accidens posita cum unica intentione nocendi, *fiat causa per se*. Et ideo obligatio restituendi non est imponenda Proculo, cum de ea certo non constet. Unde Proculus non tenetur in conscientia, ante sententiam judicis, dividere praemium cum Simpliciano. Cfr. Gury-Ferrerès Vol. I n. 787;—Jone : Theologia Moralis n. 342; Arregui n. 326.

AD QUARTUM :

Resp. : In judicio criminali reus nec se sistere nec probare quidquam debet. Quaestio, enim, agitata, “an reus legitime interrogatus teneatur crimen suum candide fateri”, hodie negativa responsione solvitur. Quippe hodie, secus ac olim, reo defertur jurandum de veritate dicenda, quod Jure Canonico vetitum est. Canon 1744. Praxis in nostro tribunali civili, est omnino reprobanda. Nam, apud nos, reus interrogatur an velit deponere sub juramento. Et si negat, Tribunal ex ipsa negatione, videtur damnare reum, in quantum ipse reus plane fatetur suum crimen. Quod non est admittendum, cum sit contra jus naturae. Sagaciae judicis est criminis confessionem a reo aptis interrogationibus

obtinere; non rei obligatio est fateri. Impositio jusjurandi reo facta est plane iniusta, et reus coactus, sive directe sive indirecte, potest, sub juramento negare crimen adhibendo restrictionem mentalem, quae restrictio haberi potest uti late mentalis. Et confirmatur jure canonico quo declaratur partes legitimae interrogatos respondere et veritatem dicere teneri, *nisi agatur de delicto ab ipsis commisso*. Can. J.C. 1743 p. 1. Quod quidem de judiciis ecclesiasticis cautum est; sed a fortiori valet de judiciis quae apud laicos iudices aguntur. Itaque reus interrogatus, etiam, forte sub juramento, negare potest delictum. Responsio negativa significat in adjunctis: *non feci quod fateri non teneat*. Tamen Proculus tenetur servare in conscientia sententiam ei contrariam. Et ratio est, quia sententia in foro externo injusta dici nequit. Bonum enim commune exigit ut cives nec defraudentur nec decipiantur in contractibus, quod exigit ipse ordo socialis. Sententia in casu est tamquam poena vindicativa in tutelam ordinis et tranquillitatis communis.

C. BONNICI.
